



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Seculum XVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

## S E C U L U M X V I I I .

CX. CAROLVS IOSEPHVS LXXXIV. ARCH.  
XXXVIII. ELECTOR.

**C**Arolus Josephus ex antiquissimo simulque Regio stemmate Lotharingico natus anno 1680. anno 1693. Equestris Ordinis in Castilia Prior, ut vocant, Magnus creatus, crescentibus annis virtutibus suis multis, & meritis in ætatis flore jam magnis, Episcopus Olmuzii an. 1695. & annis elapsis tribus Osnabrugensis; hujus verò seculi an. 10. Trevis Adjutor confirmatus, an. dein. 11. ibidem Archiepiscopus est constitutus, periculoso sanè tempore, quo inter sacrum solumque, Confœderatas nimirum, & Gallorum copias medius, cum eligeret exemplo majorum & antecessorum, nec non aliis permultis comotus argumentis Germanorum partes, sine sua culpa offensæ dedit locum. Tandem pace Rastadiana firmata, firmam Trevis Sedem figere dum insedit animo, consummatus in brevi multa explevit tempora, Elector omnibus boni ac perfecti Principis excultus donis, & fortè eas ob causas Superis quàm hominibus pretiosior, de quo procul dubio posteris legenda dabunt plura Annales Trevirorum ab iis in lucem edendi authoribus, qui Brovveri & Masenii exempla sequi suis in deliciis numerabunt. Sed. an. 4.

CXI. FRANCISCVS LVDOVICVS LXXXV. ARCH.  
XXXIX. ELECTOR.

**F**Ranciscus Ludovicus Dux Palatinus Philippi Wilhelmi Electoris filius, è quali & quanto stemmate anno 1664. sit natus, patet orbi universo; quem Domus Neoburgica Capitibus ex utroque sexu partim coronis, partim infulis variè exorna-

T

orna-



ornatis decoravit. Quàm eximiis dotibus, & præclaris meritis tum natura, tum maximè idonei moderatores, tum etiam industria propria Principem à teneris annis excoluerint, si verbis exprimere nolint Historici, viventis modestiâ prohibiti, abundè produnt legitimæ Electiones non pauca, & facta encomiis dignissima. Anno nimirum 1683. Episcopus Breslaviensis electus, in Principem Elvacii Præpositum deligi an. 1694. est promeritus. Eodem anno Episcopus Wormatiensis, & Equitum Teutonicorum Supremus Magister confirmatus, ter felici, si non corona, saltem coronide seculum clausit septimum supra decimum. Nostri hujus seculi Electori Moguntia Adjutor datus elapso deinde lustro unico, Trevirensibus ipse Elector est exoptatus, Archipræsul unâ pluribus par Ecclesiis, & Princeps Principatibus. Hæc aliæve, quoniam in vulgus etiam sunt notissima, non filere, sed paucis aperire calamo consultius fuit. Facta & verba tacere multa alia, suadet ratio & methodus Historica plana atque sincera, quæ mavult taceri vivorum encomia, quàm aut verè adulari, aut ab adulatione remotam non videri.



PRÆ